

Mere caeremoniali, et simplici benedictione. C. *Instas.*: Ordinatae sunt per manus impositionem. R. *Dist.* Consecratiuam, N. Mere deprecatiuam, C. Porro juxta *Clericatum* de Sacram. Ord. decis 31. n. 11. primo Diaconissae vocabantur illae mulieres, quarum mariti de earum consensu assumebantur ad ordinem Diaconatus: hae enim uovebant continentiam, et ad imitationem viduarum seruebant Deo. 2. Magis proprie vocabantur Diaconissae illae virgines vel viduae, quae virtutibus ornatae eligebantur, et caeremonialiter initiabantur Diaconissae, quarum officia erant, custodire januas Ecclesiarum, de quibus s. Ignatius in epist. ad Antioch.: *Saluto sacrarum portarum custodes Diaconissas.* Item catechumenas docere symbolum fidei, et orationem Dominicam, assistere mulieribus catechumenis, dum baptizabantur, deferre ad egenas eleemosynam, visitare mulieres infirmas, mortuas vestire etc.

1082. Q. VI. Quibus potissimum virtutibus debeant esse ornati Diaconi? R. Eae desumuntur ex admonitione Episcopi ante ordinationem: *Estote nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei ... et quia comministri et cooperatores estis corporis et sanguinis Domini, estote ab omni illecebra carnis alieni ... Curate, ut quibus Evangelium annunciat, vivis operibus exponatis.*

1083. Q. VII. Quo ritu conferatur Diaconatus? R. 1. Ante ordinationem indutus amictu, alba, cingulo et manipulo, tunicellam sive dalmaticam habens super brachium sinistrum, et tenens stolam, dextera vero candelam comparet in loco ordinationis. Vocatus nominatim ab Archidiacono, respondet: *Adsum.*

II. In ipsa ordinatione 1. lecta Epistola evocantur ab Archidiacono, dicente: *Accedant, qui ordinandi sunt ad Diaconatum.* Tum genuflexi coram Episcopo excipiunt ejus admonitionem, qua peracta, recitantur Litaniae (nisi ante jam dictae sint in ordinatione Subdiaconorum) postea Episcopus primo dicit orationem: *Commune votum* etc. *Oremus, fratres* etc. et Praefationem; ad cuius finem, dum dicit Episcopus, et admissa purgare, et ea quae sunt agenda, concedere, primus surgit, et ante Episcopum flectit, inclinans caput, cui Episcopus solus manum dexteram imponit, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum* etc.; postea primus recedit, et accedit alius. In quibusdam vero dioecesibus, ubi plurimi simul ordinantur, Episcopus circumiens singulis in loco suo flectentibus manum imponit. Dein Episcopus tenens extensam manum dexteram, dicit: *Emitte in eos ... Per eundem D. N. J. C.* etc.

Post haec Pontifex sedens cum mitra cuilibet ordinando ante se genuflexo, stolam, quam singuli in manibus habent, imponit successive super humerum sinistrum, dicens: *Accipe stolam candidam de manu Dei: adimple ministerium tuum; potens enim est Deus, ut augeat tibi gratiam suam, qui vivit et regnat* etc. cui respondet, *Amen.* Interim ministri stolam alligant sub brachio dextero. Tum induit eum Episcopus tunicella, dicens: *Induat te Dominus indumento salutis, et vestimento laetitiae, et dalmatica justitiae circumdet te semper. In nomine Domini.* Ordinandus respondet, *Amen.* Quo facto recedit ad suum locum, si alii adhuc induendi sint, alias manet genuflexus.

Postremo indutis omnibus accedunt terni vel quaterni, quibus Episcopus tradit librum Evangeliorum, quem ipsi dextra tangunt, dicente Episcopo: *Accipe potestatem legendi Evangelium* etc. *In nomine Domini.* Respondent Ordinati, *Amen.* Tum facta reverentia recedunt, et flectunt, donec omnes tetigerint. Post haec Episcopus stans ad altare conversus sine mitra, dicit duas orationes.

Quibus finitis, facta reverentia (suggerente Archidiacono) redeunt ad loca sua, ubi ab initio, erant; primus tamen Diaconorum recitat sub Sacro, vel cantat Evangelium stans ex cornu Evangelii.

§. X. De Presbyteratu, sive Sacerdotio.

1084. Q. I. Quid sit Presbyteratus? R. Est ordo sacer et major, in quo per traditionem calicis cum vino, et patenae cum hostia, et per impositionem manuum Episcopaliū sub certis verborum formis alicui confertur potestas in corpus Christi verum, et corpus Christi mysticum. Ideoque duplex Sacerdoti datur potestas, scilicet per consecrationem conficiendi corpus et sanguinem Christi, et simul potestas Christi fidelibus (hi enim sunt membra Ecclesiae, quae est corpus mysticum) remittendi vel retinendi peccata.

1085. Q. II. Est ne Presbyteratus Sacramentum? R. *Affirmative. Prob.* 1. Ad Sacramentum N. L. proprie dictum tria requiruntur: 1. ut sit signum externum: 2. ut sit signum institutum a Christo: 3. ut sit signum collativum gratiae: atqui haec tria habentur in ordinatione Presbyteri: ergo. *Prob. min.* Imprimis habetur signum externum per impositionem manuum, traditionem instrumentorum. Deinde est a Christo institutum, et collativum gratiae. De impositione enim manuum ait Apostolus 2. ad Timoth. 1. v. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum:* atqui nemo Apostolorum poterat impositioni manuum annectere gratiam Dei, sed solus Deus: ergo. Ne vero quis interpretetur gratiam improprie dictam, statim eam explicat s. Paulus, subjungens v. 7. *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis;* et 1. Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* De traditione instrumentorum n. seq. probabitur. *Prob. 2.* ex *Trid.* quod sess. 23. de Sacram. Ord. can. 3. ita definit: *Si quis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse vere ac proprie Sacramentum a Christo Domino institutum ... anathema sit.* Can. 6. cit. supra n. 1073. definit, Presbyteros pertinere ad Hierarchiam Ecclesiasticam divina ordinatione institutam.

1086. Q. III. Quanam sit materia et forma ordinis Presbyteratus? R. Triplex hic iterum est sententia. Prima asserit, solam manuum impositionem esse materiam hujus ordinis essentialem, traditionem vero instrumentorum esse materiam tantum integrantem ex praecepto Ecclesiae. Hanc defendunt *Morinus* de Sacram. Ord. p. 3. exercit. 7. c. 1. *Durandus, Becanus, Arcudius, Habert,* et alii. Inter hos tamen non una est opinio, quanam impositio manuum sit essentialis, an unica, vel duplex, imo triplex, an posterior. *Secunda* sententia affirmat, materiam ordinis Presbyteratus esse solam traditionem calicis cum vino, et patenae cum hostia: hanc defendunt *Vasquez, Gregor. de Valentia* t. 4. d. 9. q. 1. pun. 5. *Bonacin.* et alii. Nos cum *tertia* tenemus, quod duae sint partiales materiae ac formae ordinis Presbyteratus, quae integrant unum Sacramentum, ita ut postrema ordinationem primam moraliter perficiat, et characterem jam impressum augeat, ut ait *Laymann.* *Primae* ordinationis materia remota est calix cum vino, et patena cum hostia; *proxima* vero est traditio calicis cum vino, et patenae cum hostia. Forma huic materiae correspondens sunt haec verba ab Episcopo proferenda: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.* *Secundae* ordinationis materia est impositio manuum Episcopi super caput ordinandi cum sequenti forma: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt.* Ita *Bellarmin.* de Sac. Ord. l. 1. c. 9., de *Lauraea, Palao, Laym., Mastruis, Fagnanus,*

*Babenst.*, et alii. *Probat*ur primum, quod duplex, debeat admitti materia et forma. Christus Dominus diverso actu Apostolis in ultima coena dedit potestatem conficiendi Corpus et Sanguinem suum, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. 22. v. 19.); quae verba de ordinatione Apostolorum in Sacerdotes intelligenda esse, definit *Trid.* sess. 22. can. 1. cit. supra n. 265., et diverso iterum actu post resurrectionem iisdem dedit potestatem remittendi peccata, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remisistis peccata* etc. Joan. 20. ut iterum patet ex *Trid.* sess. 14. can. 3. de Sacram. poenit.; ergo etiam in ordinatione Presbyteri duplex haec potestas sub duplici materia et forma, per quam utraque potestas exprimitur, debet conferri. *Probat*ur secundum de duplici hac determinata materia. Imprimis Conc. Flor. in Decreto *Eugenii IV.* expresse ita habet: *Ordinis materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo: sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenae cum pane porrectionem.* Et paulo post subdit: *Forma Sacerdotalis est, accipe potestatem offerendi etc.* *Confirm.* 1. ex Concil. *Trid.* sess. 22. c. 1. in quo agens de prima oblatione in ultima coena, ubi et Christus ordinavit Apostolos Sacerdotes, ita docet: *Corpus et Sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis, quos tunc novi testamenti Sacerdotes constituebant, ut sumerent, tradidit, et iisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: Hoc facite in meam commemorationem, ut Ecclesia semper intellexit.* Ergo Christus calicem cum speciebus vini, et corpus suum sub speciebus panis non tantum praebuit, ut sumerent, sed et earundem rerum symbola praebendo, ac dicendo: *Hoc facite* etc., Apostolos Sacerdotes constituit, in Ecclesia relinquens potestatem, ut simili quodam modo traditione calicis cum vino, et patenae cum hostia successores Apostolorum constituerentur Sacerdotes. Unde recte Christus dicitur determinasse materiam et formam non tantum hic in genere, sed etiam aliquo modo in specie, tradendo Apostolis species panis, et calicem cum speciebus vini. *Confirm.* In reliquis Sacramentis illa dicitur esse materia, ad cuius applicationem jungitur forma exprimens effectum Sacramenti, ut patet in baptismo etc.; ergo etiam in ordinatione Sacerdotis traditio calicis cum vino etc. recte dicitur materia, utpote ad cuius traditionem exprimitur potestas consecrandi, quam Christus aliis tantum verbis dedit, dicens: *Hoc facite.* Haec enim verba expresse significant mandatum consecrandi; ergo includunt necessario concessionem potestatis consecrandi, utpote quam ante nullus Apostolorum habebat.

1087. *Neque dicas* 1. Prima vel secunda impositio manuum potest dici materia primae ordinationis. R. Neutri conjungitur forma exprimens potestatem consecrandi; ergo rectius dicitur neutra harum esse materia. *Dices:* Orationes antecedentes et sequentes habent se per modum deprecatoriae formae. R. Sicut hoc ab adversariis sine fundamento asseritur, ita a nobis cum fundamento negatur, utpote qui assignamus veram formam convenientem verbis Christi non deprecatoriis: *Hoc facite* etc.

1088. *Neque dicas* 2. Ante millesimum annum in nullo Rituali quidquam legebatur de traditione calicis. R. Falsum hoc esse, constat ex libello de divinis officiis, quem anno 780. scripsit *Albinus Alcuinus*, Ven. Bedae discipulus, ubi testatur, tunc fuisse in usu non solum manus Episcopi impositionem iis, qui Sacerdotio inaugurabantur, sed etiam traditionem calicis habentis vinum aqua mixtum, ac patenae panem continentis cum forma: *Accipe potestatem* etc. Refert etiam *Clericatus* l. c. decis. 32. n. 33. cum *Morino* librum scriptum circa annum 800., in quo expresse habetur: *Hoc facto* (scilicet inunctis manibus) *accipiat* Episcopus *patenam* cum ob-

latis, et calicem cum vino, et dicat: *Accipe potestatem offerre sacrificium* etc. Ergo ante annum millesimum legitur de traditione instrumentorum. E contrario fortius sic licet inferre: nullibi legitur initium traditionis calicis cum vino etc. ergo antiquissimus est illius usus, imo ad tempora Apostolorum referendus.

1089. De impositione manuum cum forma: *Accipe Spiritum Sanctum* etc. Concilium Tridentinum sess. 14. c. 2. de Sacram. extr. unct. docet: *Illius Sacramenti ministros esse aut Episcopos, aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinatos per impositionem manuum.* Idem concilium Tridentinum sess. 23. de Sacram. Ord. can. 4. subdit: *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopum dicere: Accipe Spiritum Sanctum etc., anathema sit.* Ergo haec est altera forma partialis et essentialis ordinationis Presbyteratus: cum neo-Sacerdos prius jam consecretur cum Episcopo, antequam accipiat potestatem absolventi.

1090. Denique sepositis speculationibus scholasticis, sicut *Ludovicus Habert* (postquam fatetur, quod nihil certi definiri possit, an prima vel secunda impositio manuum, an simul tertia sit essentialis) denique concludit pro praxi, caute observandum esse, quidquid praescribitur in Pontificali Romano: ita idem in nostra sententia pro praxi admittimus.

Eandem regulam *Benedictus XIV.* l. 7. de Synodo dioec. c. 25. n. 17. statuit: *Si Episcopus velit in sua Synodo peculiariter disserere de singulis ordinibus, quod a plerisque ad ordinandorum instructionem prudenter factitatum comperimus, diligenter curet, ut omnia ad amissim iis respondeant, quae de iisdem ordinibus a catechismo Romano traduntur, atque omnino declinet quaestiones in scholis agitatae, maxime circa materiam et formam trium Hierarchicorum ordinum.* Deinde subjungit sequentem casum: *Quidam Sacerdotio initiandus, et si omnes consuetas manuum impositiones ab Episcopo accepisset, ad Episcopum tamen solita patenae cum hostia, et calicis cum vino instrumenta porrigentem, ad alia tunc temporis distractus non accessit. Re postea detecta, quid facto opus esset, dubitatum, atque a sacra Congregatione petitum est.* Postea erudite refert idem Pontifex singulas variorum Theologorum sententias circa materiam et formam ordinum Hierarchicorum, scilicet Episcopatus, Presbyteratus et Diaconatus, et sub finem ita testatur: *Quia autem nonnulli non infirmi Theologi dixerunt, impositionem manuum praecambulam porrectioni instrumentorum simul cum hac in unam coalescere materiam, qua, una cum verbis ab Episcopo instrumenta exhibente prolatis, prima confertur Sacerdotalis potestatis pars, conficiendi nimirum corpus Christi; idcirco sacra Congregatio scite animadvertens, praeviam illam manuum impositionem jamdiu antea peractam, non posse moraliter conjungi cum traditione instrumentorum, quae postmodum fieret, ut etiam hujus opinionis in re tanti momenti rationem aliquam haberet, totam ordinationem sub conditione iterandam rescripsit.*

1091. Q. IV. Quid requiratur ad ordinationem Presbyteri? R. Alia requiruntur ad valorem ejus, alia ad licitatem. Ad validam ordinationem ex parte subjecti requiruntur 1. Ut sit mas. 2. Ut sit baptizatus baptismo in re, sive fluminis. 3. Ut habeat intentionem suscipiendi hunc ordinem, eamque vel actualem, vel virtuales, vel habituales. Intelligi de adultis: ordinatione enim parvulorum ante usum rationis valida quidem est, sed illicita, de qua *Benedictus XIV.* Tom. I. Bullarii sui in *instruct. super dubiis ad ritus Ecclesiae* §. 20. ita habet: *Si tamen in hujusmodi provide institutarum legum contemptum contingeret fortasse ab Episcopo legitima auctoritate suffulto non solum minores, sed etiam sacros ordines infanti con-*

ferri, *concordi Theologorum et Canonistarum suffragio definitum est, validam, sed illicitam censi hanc ordinationem, dummodo nullo labore substantiali defectu materiae, formae et intentionis in Episcopo ordinante; aequae tamen certum et exploratum est, per hanc ordinationem non subjici promotos obligationi servandae castitatis, nec aliis oneribus ab Ecclesia impositis, cum electio status a libera cujusque pendeat voluntate, et Altissimo nostra, non autem aliena vota reddere teneamur.*

1092. *Ad validam ordinationem ex parte ministri* requiritur, ut sit Episcopus verus, et legitime consecratus, deinde ut habeat intentionem vel actualem vel virtualem. Nec sufficit, ut communi errore habeatur pro vero Episcopo; communis enim error non supplet defectum juris divini. Episcopus tamen verus factus haereticus valide ordinat, quia per haeresim non aufertur character Episcopalis. Episcopus etiam Graecus valide ordinat Latinum, si debitam materiam et formam adhibeat.

1093. *Ex parte rei sive Sacramenti* requiritur ad valorem, ut adhibeatur debita materia et forma. Huc reducunt aliqui conditionem necessariam, scilicet physicum et immediatum instrumentorum contactum ab ordinando.

1094. R. 2. *Ad licitatem ex parte subjecti* sive suscipientis requiritur: 1. ut habeat legitimam aetatem, scilicet annos viginti quinque saltem inchoatos; 2. ut sit constitutus in majoribus ordinibus, ne ordinetur per saltem, et sic fiat irregularis; 3. ut non sit irretitus aliqua censura vel irregularitate; 4. ut habeat scientiam officio suo competentem.

1095. Q. V. Quae scientia requiratur in ordinando Presbytero? R. Debet scire ea, quae pertinent ad officia sua rite peragenda. Hinc primo speciatim scire tenetur, quae pertinent ad primam potestatem conficiendi Corpus et Sanguinem Christi, de quibus vide cap. 3. de Eucharistia. Secundo, quae pertinent ad validam et licitam administrationem Sacramenti poenitentiae, de qua cap. 4. egimus. Praeterea Sacerdos simul suscipiens curam animarum, debet scire non tantum rite sacrificare, sed etiam aliis Sacramenta administrare, et docere populum ea, quae sunt scitu necessaria necessitate medii et praecepti, et quae pertinent ad officia hominis Christiani, quae sunt declinare a malo, hoc est peccato, et facere bonum.

Porro necessaria *necessitate medii* alia sunt necessaria ad credendum, alia ad habendum, alia ad faciendum. *Necessaria creditu* sunt 1. quod sit Deus, et 2. quod sit vindex malorum, et 3. remunerator bonorum, juxta illud Apostoli ad Hebr. 11. v. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* In praxi Curati etiam post promulgatum Evangelium huc reducunt instructionem de mysterio Trinitatis et Incarnationis, ut diximus in P. I. de Fide n. 346.

*Necessaria factu* sunt baptismus in re respectu parvulorum, respectu adultorum vel in re, vel in voto, et post lapsum sive peccatum actuale commissum poenitentia vel in re, vel in voto, hoc est amor Dei supernaturalis super omnia, vel contritio perfecta, quia haec habent eundem effectum, quem baptismus in re, scilicet justificationem hominis. Dicuntur autem baptismus vel poenitentia in voto, quatenus amans Deum super omnia paratus est ad omnia praestanda, quae Deus exigit ad salutem consequendam, ideoque paratus est talis ad suscipiendum baptismum, si sciret illum esse necessarium, et daretur occasio illum suscipiendi.

*Necessaria habitu* est gratia sanctificans; sine hac enim nemo potest salvari: hinc gratia dicitur semen gloriae.

1096. Q. VI. Quenam sint officia Sacerdotis N. L.? R. Juxta Rituale Romanum, *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praesesse, praedicare, et*

*baptizare:* quae includuntur in his tribus, scilicet quod debeat sacrificare, sacramenta administrare, et pascere populum verbo et exemplo.

Dixi 1. *Sacrificare*, hoc est Missas celebrare, quod est primum munus Sacerdotum. Dixi 2. *Sacramenta administrare*, scilicet baptismum conferre, absolvere subditos confitentes a peccatis (subditos, inquam, quia vi ordinis Sacerdos non habet jurisdictionem, quae requiritur ad absolutionem, ut dictum est num. 678.); item dispensare Eucharistiam, dare extremam unctionem, ac denique assistere matrimonio suorum parochianorum. Huc etiam pertinent sacramentalia, veluti benedictio salis, aquae lustralis, cereorum, herbarum etc. Dixi 3. *Pascere populum verbo et exemplo:* quamvis autem non omnium Sacerdotum sit, verbo praedicare, omnibus tamen convenit, laicis bono exemplo praelucere, ut ex eorum vita et moribus in iis agnoscant et reverentur personam Christi, quam ad altare sustinent.

1097. Q. VII. An Episcopatus sit ordo realiter distinctus ab ordine Presbyteratus? R. Probabilius est realiter distinctus ordo tanquam vere et proprie Sacramentum. Habet enim haec ordinatio sacra omnia requisita ad rationem Sacramenti, scilicet impositionem manuum tanquam signum sensibile, institutum a Christo Domino ad significandam gratiam, uti satis patet ex 1. ad Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam* etc. et 2. ad Tim. 1. v. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam* etc. Deinde in ordinatione Episcopi cum impositione manuum dicitur: *Accipe Spiritum Sanctum.* Ergo imprimis Episcopatus est Sacramentum: quod autem sit ordo distinctus a Presbyteratu, eruitur ex eo, quod in consecratione conferatur nova potestas confirmandi et ordinandi; ergo etiam distinctus character imprimitur; hic enim fundatur in potestate spiritali exercendi actus hierarchicos, quales sunt confirmare et ordinare. *Confirm.* ex Trid., quod sess. 23. c. 4. dicit: *Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere;* et can. 6. Episcopatum definit pertinere ad Hierarchiam Ecclesiasticam divina ordinatione institutam; atque ad eam pertinet, ut ordo distinctus a Presbyteratu: ergo. Ita *Scotistae, Durandus, Cajetanus, Bellarminus, Valentia* et alii contra probabilem Thomistarum, *Gonet, Babenst.* t. 8. p. 5. d. 11. a. 1. n. 7. qui contendunt, Episcopatum non esse ordinem distinctum a Presbyteratu vi ordinis et intensive, sed tantum extensive, eoquod sit tantum extensio quaedam characteris ad confirmandum et ordinandum, non autem augeat intrinsece characterem sacerdotalem, sed in esse Sacramenti eum tantum perficiat et consummet, ut ordinatus Presbyter non tantum possit conficere Eucharistiam, sed etiam alios ordinare ad eam conficiendam, ut ait *Laymann* L. 5. t. 9. c. 4. Plura vide apud Theologos Scholasticos.

#### §. XI. Quo ritu conferatur Presbyteratus.

1098. I. *Ante ordinationem.* Ordinandus 1. adaptat casulam, ita ut pars posterior in principio ordinationis tantum ex media parte dependeat, quod duobus modis fieri poterit: 1. si medietas partis posterioris attollatur usque ad collare, et ibi acu majore affigatur parti superiori casulae. Hic modus est facillimus; quando enim postmodum acus extrahitur, indutus est tota casula. Alter modus est, si pars inferior interius usque ad foramen casulae, quod collum circumdat, elevetur, et parumper extrahatur per modum collaris.

2. *Indutus amictu*, alba, cingulo, manipulo et stola ex humero sinistro defluente, et sub brachio dextero colligata, brachio sinistro imponit casulam, ut superius dictum est, adaptatam; dextera vero tenet candelam et

mappulam albam, vel eam inserit cingulo pro ligandis post unctionem manibus.

II. *In ipsa ordinatione.* Si Subdiaconi vel Diaconi simul ordinentur, cum illis vocatur ad Litanias, iisque absolutis recedit ad locum suum. Si vero soli Sacerdotes ordinentur, lecto Graduali aut Tractu evocantur ordinandi: *Accedant qui ordinandi sunt ad ordinem Presbyteratus*, et mox nominatim leguntur. Post nomen suum lectum quilibet accedens respondet, *Adsum*, et coram Pontifice in modum coronae se disponunt, admonitionemque genuflexi excipiunt; ante admonitionem eos praesentat Archidiaconus Episcopo, dicens: *Reverendissime pater, postulat sancta mater Ecclesia etc.* Facta praesentatione Episcopus annunciat populo et Clero, dicens: *Quoniam, fratres charissimi, rectori navis etc.* Postea convertit sermonem suum ad ordinandos, eos admonens: *Consecrandi, filii dilectissimi etc.* in fine: *Quod ipse nobis concedat per gratiam suam. R. Amen.*

2. Post admonitionem (dum ordinantur soli Sacerdotes) recitantur Litaniae) juxta Rituale Romanum surgunt omnes, et ordinandis coram Pontifice binis et binis successive genuflectentibus Episcopus stans ante faldistorium suum cum mitra imponit simul utramque manum super caput cujuslibet ordinandi successive, nihil dicens. Tum is, cui manus Episcopi impositae sunt, statim surgit, et coram unoquoque Sacerdote saltem superpelliceo et stola induto flectit, qui et ipsi utramque manum imponunt. In aliquibus dioecesibus quando plures ordinantur, Episcopus solet circumire, et genuflexis secundum ordinem manus imponere, et post illum Sacerdotes praesentes. Interea tam Pontifex, quam Sacerdotes utramque manum tenent extensam super ordinandos; dum singulis manus impositae sunt, Pontifex stans cum mitra dicit: *Oremus fratres charissimi*, sub qua oratione Sacerdotes adstantes tenent dextras tantum extensas.

3. Finitis orationibus et Praefatione primus genuflectit ante Pontificem, qui ei adaptat jugulam in modum crucis, dicens: *Accipe jugum Domini: jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve.* Ordinandus interim cingulo firmat stolam. Deinde Episcopus imponit ei casulam adhuc complicatam, dicens: *Accipe vestem sacerdotalem, per quam charitas intelligitur; potens est enim Deus, ut augeat tibi charitatem et opus perfectum:* cui respondet ordinandus: *Deo gratias*; factaque reverentia recedit ad locum suum.

4. Indutis omnibus Pontifex sine mitra dicit orationem: *Deus sanctificationum omnium auctor etc. Per omnia saecula saeculorum. Amen.* Postea intonat: *Veni Creator Spiritus*: et dum hic hymnus a choro decantatur, fit consecratio, ideoque quamprimum gremiale sive mappula super gremium Episcopi est posita, primus accedit et coram Episcopo flectit, ambasque manus apertas, et ita junctas porrigit inungendas, ut digiti auriculares se tangant. Sub unctione dicit Episcopus: *Consecrare et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem, et nostram bene dictionem.* Respondet ordinandus: *Amen.* Pergit Episcopus: *Ut quaecumque benedixerint, benedicantur, et quaecumque consecraverint, consecrentur et sanctificentur in nomine Domini Jesu Christi.* Respondet ordinandus: *Amen.* Tum Episcopus jungit sive claudit manus cuilibet successive, quas aliquis ministrorum mappula alba linea, videlicet dexteram super sinistram alligat, et mox unusquisque ad locum suum recedit, et sic clausas manus tenet.

5. Omnibus inunctis Episcopus extergit pollicem; ac tunc primus iterum accedit, genuflectit, et accipit calicem cum vino, ac calici superpositam patenam cum hostia, ita ut medii digiti tangant cuppam calicis, in-

dicentes autem imponantur patenae et hostiae, dicente Episcopo: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.* Respondet ordinatus: *Amen.* Tum surgit, et facta Episcopo profunda reverentia paululum recedit, et genuflectit. Dum Pontifex legit Graduale, aut Tractum, et Evangelium, ordinati Sacerdotes in loco destinato cum medulla panis et aqua bene lavant manus, et ea mappula, qua manus erant ligatae, eas extergunt.

6. Candelas suas accendunt, et lecto Offertorio Pontifici cum mitra sedenti offerunt genuflexi, et osculantes ejus manum; postea quisvis statim accedit ad librum suum.

7. Quando Episcopus detecto calice sumit patenam cum hostia, ac incipit: *Suscipe, Sancte Pater*, ordinatus una cum ipso simul pronunciat ex libro usque ad finem. Ubi advertendum primo, quod orationi secretae diei adjungatur, et quidem sub una clausula, Secreta pro ordinatis: *Tuis, quaesumus Domine etc.* quam vide in fine Missalis post Missas et orationes pro Defunctis, de collatione ordinum, ubi etiam Postcommunio ponitur. Secundo, advertendum est, quas commemorationes Episcopus ante Epistolam fecerit, sive quae fuerit secunda et tertia oratio, ut secretae et postcommuniones respondeant. Tertio, attendat, ut simul cum Pontifice pronunciet singula verba, praesertim consecrationis, ubi etiam consultum est renovare intentionem consecrandi cum Episcopo: caveat autem maxime, ne ibi praeveniat Episcopum.

„Caveant neo-Sacerdotes, ne praeveniant aut sequantur Episcopum in consecratione; quia si aliquis praeveniret Episcopum cum intentione consecrandi, tunc revera ipse consecraret, minime vero Episcopus, quod maxime absurdum esset. Ideo in consecratione panis faciant intentionem non absolutam consecrandi, sed conditionatam, scilicet si simul cum Episcopo absolvant verba consecrationis; secus si Episcopum praeveniant aut sequantur. Haec enim videtur esse mens Ecclesiae tam sollicitae, ut praeveniant, ne Episcopum in prolatione verborum praecedant aut subsequantur. In consecratione autem calicis habeant intentionem conditionatam duplicem; et primam quidem, si in priore consecratione vere consecraverint panem (non potest enim licite una materia sine altera consecrari) ac deinde secundam, si simul cum Episcopo fiat. Ad tollendos omnes scrupulos convenientius erit, si forment generalem intentionem proferendi verba juxta mentem Ecclesiae, vel dicendi illa non formaliter, seu significative et cum intentione consecrandi, sed tantum materialiter, in signum potestatis sibi concessae.“

8. Finita prima oratione post Agnus Dei: *Domine Jesu Christe etc.* primus ordinatorum accedit ad dexteram Episcopi, factaque genuflectione osculatur altare, et accipit pacem, et respondet: *Et cum Spiritu tuo.* Facta dein genuflectione descendit, et pacem dat alteri neo-ordinato Presbytero, dicens: *Pax tecum*, ille tertio, et sic consequenter; tum pergit cum Episcopo in secunda oratione: *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi etc.*

9. Postquam Pontifex sacrum Sanguinem sumpsit, a Subdiaconis et Diaconis (non autem a Presbyteris) dicitur *Confiteor*, dictoque ab Episcopo *Misereatur et Indulgentiam*, bini vel terni accedunt, et flectunt in supremo gradu altaris, et dum Episcopus dicit: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam*, singuli respondent, *Amen*, et priusquam sacram hostiam sumant, osculantur manum (vel annulum) Episcopi, qua hostiam tenet. Postea statim recedunt, et sumunt ablutionem ex calice, quem aliquis ministrorum porrigit, ubi